

Zd  
2390





Inv. N. 264, 26

Z d  
2390

# Oratio

*Qua publicè in Academia Hei-  
delbergensi, clarissimi ac sin-  
gularis exempli viri,*

**D. CASPARIS PEV-  
CERI BVDISSINI, PHI-  
LOSOPHIAE, ARTIS Q. ME-  
dicæ Doctoris præstantissimi, archia-  
tri & Consiliarij Palatini atq;  
Anhaltini fidelissimi,**

*Manibus parentatum est.*

à

**SIMONE STENIO**  
*Lomacensi Professore publico*

*20. Octobr. Anno* <sup>de auctore con</sup> *Ludovici*  
*cl. 1611.* <sup>Wulfen in</sup>  
*\* P. II. p. 244.*



S E R V E S T A E

Imprimebat Iohannes Schleer Anno 1603.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)





**H**Atalem hunc annum, auditores  
omnium ordinum ornatissimi,  
Viris praestantibus & fuisse &  
esse, tum hic tum alibi crebritas  
testatur funerum luctu publico  
dignissimorum, & mærore omni-  
um, qui pietatis & eruditionis studiosi & aman-  
tes sunt. Quam plagam acceperit nostra Eccle-  
sia & Academia morte Tossari, quantumq; ja-  
ctura tulerint literæ humaniores ex obitu Melissi,  
externi quoq; nobiscum sentiunt, & cum gemitu  
deplorant. Amisit etiam nuper adeo, ut huc  
perscriptum est, Lugdunum Batavorum suum  
ornamentum, Franciscum Iunium, commune  
tamen illi nobiscum, cum notissimum sit omni-  
bus, hanc nostram scholam, & Ecclesiam Galli-  
cam, & voce & literis Iunianis per multos annos  
fuisse eruditam. Iam, ne quid tristitia desit, ad-  
ditamentum quasi accessit PEVCERI dis-  
cessus ex hac vita: qui etsi admodum senex obiit,  
anno nimirum ætatis septuagesimo octavo, im-

maturè tamen ex his terris migrasse videri possit  
 ijs, quibus viri pietas perspecta fuit, & preces,  
 quas quotidie ad Deum ardentissimas fudit, pro  
 veritatis cœlestis, in turbulentis hisce confusio-  
 nibus indies augescentibus & παρολεθεῖαν minanti-  
 bus, conseruatione, pro incolumitate illustrissimi  
 nostri Electoris, pro incremento huius Academia,  
 de cuius commodis ornamentisq; quàm sollicitè,  
 ante decennium opinor, cum hic esset, cogitarit,  
 Consiliariis serenissimi Principis nostri & nonnul-  
 lis ex nostro ordine non ignotum est. Memini  
 eum post deliberationem de luculenta Fisci Aca-  
 demici locupletatione, cuius certa spes ostensa fue-  
 rat, hilari vultu me compellere, nobisq; omnibus  
 gratulari de efflagitata jam pridem accessione.  
 Reuersus idem in Saxoniam, nullas ad me literas  
 misit (misit autem crebras) in quibus non anim-  
 adverteretur singularis de Academia huius statu  
 cura, quòd, quæ ipsius erat prudentia, facile per-  
 spiceret vel potius prospiceret quid euenturum es-  
 set, si non maturè expedirentur ea, quæ sapientis-  
 simè tum ab ipso tum ab aliis consulta & consti-  
 tuta fuerant. Neque tamen amor & studium  
 Pence-

Peuceri in hanc *Academiam* recens extitit, sed  
 46. annis ab hinc testatum publico monumento.  
 Anno enim millesimo quingentesimo quinquage-  
 simo sexto *Logisticen Astronomicam* <sup>ἐξ ἀνορθώσεως</sup> &  
*scrupulorum sexagesimorum*: itemq; *Logisticen*  
*Regula Arithmetica*, quam *Cossam* & *Algebrā*  
*quadratam* vocant, compendio tractatam & il-  
 lustratam exemplis, *Academia* hujus *Rectori* &  
*Senatui* eruditissima compellatione dedicavit, ut  
 vel hac una de causa aequissimum videatur justa  
 quasi sepulcri persolvi etiam ex hoc loco *Seni* opti-  
 mo, & de *Academiis* optimè merito, confessoriq;  
 veritatis cœlestis constantissimo. *Mœstissimum*  
 autem hoc officium optarim potuisse præsari pro-  
 pter majorem autoritatem & narrationis fidem,  
 à *sene* eruditissimo *Hermanno VVitekindo*, colle-  
 ga nostro honorando, quem *Peucerus* biennio cre-  
 do majorem studiorum eorundem socium conjun-  
 ctissimum habuit *VViteberga*: Sed quia hunc &  
 senectus ipsa tanquam emeritum, & valetudo  
 afflicta facile excusat, video mihi potissimum tri-  
 stissimam hanc operam impendendam esse, quem  
 juvenē ille singulari benevolentia complexus o-



omnibus officiis & auxerit & ornarit. Ingressum  
 enim me annum etatis vicesimum octavum,  
 ludi in patria sua Budissina propter superioris anni  
 luem pestilentem collapsi, non tam Rectorem es-  
 se voluit, quam instauratorem: triennio fermè  
 post, cum improbaret nonnullorum in alendis ju-  
 ventutis praeceptoribus sordes, ex Lusatia me in  
 Misniam revocandum curavit ad ludi Torgen-  
 sis gubernationem. In quo oppido cum erudiende  
 adolescentiae operam navarem, non omnibus gra-  
 tam, propterea quòd pastori & ministris Ecclesiae  
 suspectus essem de Calvinismo, id est, quòd abhor-  
 rerem ab Ubiquitatis monstro, & Oralis mandu-  
 cationis portento, quae duae nota vel quasi tesserae  
 vulgò putantur, quibus Pseudolutherani à Cal-  
 vinianis se discriminari volunt; accidit eo ipso  
 tempore, ut, post mortem illustrissimi Saxoniae Du-  
 cis V Vilhelmi, mandatu potentissimi Saxoniae  
 Electoris Augusti, Flaciana factio ex Academia  
 Ienensi exturbaretur. Quia autem in expulsorū  
 loca alij surrogandi erant, egit mecum Ioachimus  
 Camerarius, cujus consilio Elector eos uti volue-  
 rat, per quos mutatio institui debebat, ut ad pro-  
 fessio-



fessionem Græca lingua & Ethices me conduci pa-  
 teret. Camerario pro honorifico illo de me iudicio  
 gratias egi, spaciumq; deliberandi sumsi, in pri-  
 mis hac de causa, quòd nollem quicquam statuere  
 in re tam gravi, Peucero non consulto. Monui  
 igitur domum reversus per literas Peucerum, ut  
 quid sibi videretur, disertè exponeret. Responde-  
 bat ille, & summè dissuadebat migrationem, hac  
 ratione adducta, & his quidem (probè enim me-  
 mini) verbis, quòd Academia Ienensis quarto  
quoq; anno aut faceret aut pateretur mutatio-  
nem. Dum hæc inter nos aguntur, accipio literas  
 ab amico quodam veteri tùm Lipsia degente exa-  
 ratas, in quibus erat, viderem, quid agerem, se e-  
 nim ex ipsis Illustrissimi Electoris Consiliariis in-  
 tellexisse, mentionem quidem mei à Camerario  
 factam, sed vocationi difficultatem objectum iri,  
 quòd ex multis cognosceret me, sacramentario vene-  
 no (his enim formulis plerūq; utuntur) infectū esse.  
 His lectis illicò Lipsiā abij, & Camerario tū Peu-  
 ceri responsū, tū Consiliariorū sermones exposui, si-  
 mulq; indicavi, quid periculi mihi ab illustrissimo  
 Electore impenderet, si, cuius rei insimularer, à  
 Consiliariis edoctus esset. Mansi igitur etiam

probante ipso Camerario, in statione mea exposita,  
 ut supra innui, calumniis & suspicionibus, qua  
 cum indies crescerent & auferentur, adeo ut in  
 publicis etiam concionibus adversus me populi in-  
 dignatio tanquam in Sacramentarium manifesta-  
 ri concitaretur, admirabili Dei providentia fa-  
 ctum est, ut Senatus nova civitatis Brandeburgē-  
 sis, autore Peucero, me ad schola paulo ante magni-  
 ficè extructa rectionem honestissimè invitaret. I-  
 ta contigit, ut & misericordia Dei sapientissimè  
 dispensantis omnia, & opera Peuceri, abstractus  
 ex Misnia in Marchiā, horribilem illā tempesta-  
 tem effugerē, cujus adventantis murmura quidē  
 audiri, sed fulmina cuncta percellentis nondum  
 conspici. Hac breviter cōmemorare volui, ut ad-  
 olescentes intelligerent, me ad parentandum  
 viro Clarissimo, non tam officio, quod preceptoris  
 manibus debetur, quam pietate adductū esse,  
 qua in animi grati declaratione precipuè elucet.  
 De vita autē Peuceri, fortassis accurata aliorū  
 aut etiam ipsius narrationes suo tempore in lucem  
 prodibunt. Nos tantum ea referemus, quæ par-  
 tim ipsi vidimus, partim ex amicis audivimus,  
 partim

partim ex ipso Peucero cognovimus, partim  
 deniq; ex chartis ejusdem manu correctis de-  
 scripsimus. Natus est **CASPAR PEV-**  
**CERVS** Budissina (quod primarium Lusa-  
 tia superioris oppidum est) honestis parentibus,  
 anno 1525. initio diei civilis, hoc est, hora 12.  
 noctis precedentis festum diē Epiphaniarum,  
 qui dies celebris etiam natali Eobani Hessi,  
 laudatissimi in Germania Poeta, & obitu for-  
 tissimi & pietatis laude illustrissimi Principis,  
 Ioannis Casimiri, Comitis Palatini, Ducis  
 Bavariae, pia & nunquam intermoritura me-  
 moria. Parens cum in filio praclara acris in-  
 genij signa cerneret, animadverteretq; primis  
 literarum elementis perceptis, feliciter eum ad  
 precepta artis Grammaticae & initia sermonis  
 Latini progressum, de uberiore doctrina cultus  
 ei prospiciendum judicavit. De consilio igi-  
 tur amicorum & propinquorum, filium Golt-  
 bergam ablegavit, cujus oppidi scholatum flo-  
 rentissima erat frequentia discipulorum, & in-  
 primis concursu nobilitatis Bohemicae, Poloni-  
 cae, Silesiaca, quam attraherat fides, diligentia,

B

disciplina

disciplina severitas, qua in Rectore Valentino  
 Fridlando Troendorffio, ab omnibus predica-  
 batur. Memini me, Budisina cum essem, ex  
 quodam PEVCERI condiscipulo audire cum  
 alia narrante commendantia indolem ipsius et  
 naturam, tum etiam hoc, non solum eum uti  
 ludendi licentia, legibus quoque adolescentulis  
 concessa sed iis ipsis horis commentatum esse  
 aliquid, vel socios naclum instituisse accusati-  
 ones & defensiones, in quibus ipse vel patro-  
 nus esset, vel ut iudex sententiam ferret: ut fa-  
 cile apparuerit ingenium ejus vehemens &  
 multarum artium capax ad sublimiora &  
 graviora studia delatum in. Goltberga V Vi-  
 tebergam se contulit anno 1540. ibique vel patris  
 voluntate, vel aliorum commendatione in-  
 ter <sup>suos</sup> ~~suos~~ ites Philippi Melanchthonis receptus est,  
 & quadriennio post Magister optimarum arti-  
 um publice renunciatus. In eadem Academia  
 Mathematicum praeceptores habuit Rheticum,  
 Milichium, Reinholdum: in Arithmeticis pri-  
 vatim Stifelium. In scientiis illis quantum  
 profecerit, monumenta eruditissima testantur,  
 & li-

Et libelli conscripti de Sphæra, de dimensione  
 terræ Et Geometricè numerandis locorum par-  
 ticularium intervallis, ex doctrina triangulo-  
 rum sphericorum Et Canone subtensarum, de  
 Logistica Astronomica Et Algebra, quarum su-  
 pra mentio facta. Cum his subtilissimis scienti-  
 is studia optimarum artium conjunxit, Et in-  
 primis Medicina, in qua adeo excelluit, ut  
 mortuo Jacobo Milichio in ipsius locum surro-  
 garetur, cum antea mathemata publicè do-  
 cuisset. Quam multiplici autem Et varia eru-  
 ditione excultus fuerit, luculento indicio esse  
 possunt libri de Divinatione, accuratissimè ab  
 eo elaborati. Omitto historiarum cognitionem, Et o-  
 mnis antiquitatis, controversiarum itè Theologi-  
 carum intelligentiam non vulgarem, sed eximiam, Et  
 qualis vix in eis reperiatur, qui sacrarum literarum  
 interpretationem sibi tantum vèdicant, Et sui ordinis  
 hominibus. Melanchthon igitur exquisitus ingeni-  
 orum censor, Casparum Peucerum, admiratus acerri-  
 màm in eo naturam sagacissimam vim, Et industriam  
 nullis laboribus cedentem, veritatisque tam in politi-  
 cis quàm Ecclesiasticis amorem, multarumque aliarum



virtutum non adumbrata, sed expressa vesti-  
 gia, ex infinito juvenum honestissimorum nu-  
 mero, generum sibi elegit, ut antea Sabinum  
 Poetam nobilem, & post Marchionum Bran-  
 deburgensium consiliarium. In virtutum  
 autem illarum, quas annumeravi, cumulo,  
 si navus aliquis delituit, mirum videri non  
 debet ei, cui natura humana conditio nota est.  
 Memini à viris excellentibus, & ipsi P E V-  
 C E R O amicissimis, notari in eo ingenium e-  
 latius & <sup>perimma</sup> inflatius, quod quidem ego ne  
 minima quidem in re ullo indicio deprehendere  
 potui: in se tamen tale aliquid agnovisse visus  
 est ipse. Nam post calamitatem, subinde  
 vocem illam Davidis repetiisse fertur: Bonum  
 est mihi Domine, quod humiliasti me. Po-  
 tuit fieri, ut post obitum Philippi, favor aulicus  
 majores illi spiritus addiderit. Quotus quisq;  
 enim reperitur, qui honorum accessione non ali-  
 quantulum immutetur. Sed redeo eò unde  
 abii. Nuptias celebravit P E V C E R V S  
 anno 1550. aetatis 26. finito bello Saxonico,  
 rebusq; in Germania aliquo modo compositis,  
 cumq;

cumq; Socero jucundissimè in iisdem adibus  
vixit, quamdiu ille vixit. Quia autem in cō-  
ventu ad Danubium, anno 56. de religionis  
negotio ita convenerat, ut delecti aliquot utri-  
usq; partis V Vormacia in V angionibus de con-  
troversis ortis inter se placidè colloqueretur, pro-  
fiscientem illuc, mandatu Electoris Augusti,  
socerum secutus est gener PEVCERVS,  
quo tempore improvisa mors uxorem Philippi  
sustulit. Porro cum importunitate Flacia-  
norum actiones utilissima Berbetomagi differ-  
rentur, & profundum ibi otium esset, visum  
est Illustriss. principi Palatino, Othoni Henri-  
co Electori, Philippum Heidelbergam accerse-  
re, ut de Academia constitutione eo presente  
deliberaretur. Profectus cum eo illuc est Peu-  
cerus, qui à soceri latere nuspiam discedebat.  
Venit eodè etiam Ioachimus Camerarius exo-  
ratus ab amicis cōmunibus, ut ad Philippum  
Melanchthonem se conferret, quòd existima-  
rent illi presentia eius, cujus consuetudo Phi-  
lippo esset jucundissima, domestici luctus mœ-  
rorem allevatum iri. Triennio post, ut notū

omnibus, Philippus uxorem secutus est, id quod ipse, cum indicatus ejus obitus esset, brevi futurum prasagierat, mortuae salute dicta. Philippo rebus humanis exempto, anno 1560. quo anno Peucerus Doct̃or Medic. creatus est. statim ea mota sunt, qua ad hūc usq; diē tranquillari & quiescere non potuerunt: quaq; & Peucerū in arumnas miseriasq; conjecerunt, & multis aliis pericula, labores, angoresq; conciliarunt, & adhuc conciliant, ac fortassis deinceps conciliatura sunt. Oppressio autem illa subito facta non est, sed pedetentim quotannis progrediendo, conficta illa Majestas Suevica, vulgò Ubiquitas appellata, vestimentis Lutheri laceris & à Luthero ipso abjectis exornata, & Brentianis commendationibus instructa, ita multorum animes cepit, ut qui excludendam illam, ut minus probam, censerent, statim in Calvinismi suspitione haberent. Ac, ut viri graves affirmant, Brentius, hujus Tragœdiæ autor, cujus scenas & actus postea Schmidelinus usq; adeptus in, in qua adhuc versamur, pertexuit. Brentius igitur sublato è medio Philip-



Philippo, jam tempus esse aggrediundi VVi-  
tebergenses ratus, missis ad aulam Saxoniam  
magnis voluminibus, bellum Ebero & aliis  
Theologis indixit. Eberus, Major, Crellius,  
initio acriter resistere, & speciem aliquam de-  
fensionis praebere, sed Dresdam vocati, à pristi-  
na sententia desciscere, illamq; vel levitatem,  
vel infirmitatem periculorum exaggeratione  
excusare, & metu turbarum secutarum.  
Hac turpis, ut multis visa est, Apostasia pepe-  
rit nobis libellum Eberi, tam imperite consutum,  
ut neq; hunc Flaciani approbarent, & VVir-  
tebergici rejicerent. Cum autem Autor facile  
conjectaret, multos bonos, & in his Peucerum  
offensos esse publicatione istius libelli, non tantum  
odisse hunc & alios coepit, sed etiam multorum vi-  
torum animos à Peucero abalienavit, & in his  
quoq; nonnullorum Principum. Ac de hoc ipso  
cui en Peucerus adhibito teste Georgio Majore  
Theologo compellasset, & ostendisset se non posse  
ea facilitate agnitam veritatem abjicere, qua  
ipse eam deseruisset, obticuit prorsus, ita  
consternatus, ut exanimi similis videretur.

Idem

Idem Eberus, ut multis narravit PEVCE-  
 RV S ipse, pridie quam moreretur, ea nocte  
 qua praecessit, & tota illa die Peucerum ad se  
 vocari voluit: cumq; accessisset, cupere se qua-  
 dam cum ipso loqui ostendit, sed aliquoties co-  
 nantem ordiri sermonem vires destituerunt. Ita  
 quid fuerit illud, de quo compellat PEVCE-  
 RV M voluerit, cognosci non potuit: Opinio  
 tamen fuit, deplorare eum voluisse suam à ve-  
 ritate agnita apostasiam, & testatam relinque-  
 re. Interim tamen PEVCE R I autoritas  
 & in Academia & in aula crescere, ipse Ele-  
 ctori carus esse & nobilibus, florere gratia apud  
 omnes, ad gravissimas deliberationes adhiberi,  
 saepe ex Academia in aulam vocari, consiliis  
 interdum intimis interesse, prandere, cœnare  
 cum Electore, cujus singularis ad PEVCE-  
 RV M amplectendum propensio etiam ex his  
 apparuit: primum, quod deprecante ipso Aca-  
 demia (qua quam gratiam ei retulerit nota  
 est) proventum annum munificentia plane re-  
 gia auxerit: Vnde & professores honestioribus  
 &

& lautioribus stipendiis sustentarentur: & contubernio prospiceretur, hac ratione, ut in eo quadringenti studiosi tenuis fortuna per septimanam denario ali possent: Deinde, quod Peucero, totius Academia inspectionem communi Senatus consensu oblatam, principali autoritate confirmavit: Tum quod filiolo ipsius Celsitudini in arce Stolpensi nato Adolpho <sup>αδολφου</sup> pro more Christiano Peucerum, cum illustris baptisaretur infans, esse voluerit. Atque hujus temporis recordatio admonet me beneficii à Peucero accepti, quod propter magnitudinem, mea a estimatione reticere non debeo. Eram tunc Budissina, missus eò, ut ante dixi, ad scholae instaurationem. Interim Dresda me inscio, suasu & impulsu quorundam Ecclesie ministrorum, qui mei condiscipuli in illustri ludo Misenensi fuerant, & in Academiis studiorum socij, in Senatu de me ad primariam scholasticae functionis provinciam arcessendo consultatum fuerat. Quia autem constabat, me Georgij Fabricij discipulum fuisse, monuit summus oppidanae Ecclesiae pastor, quem vulgò

C

Super-

Superintendentem appellant, ut, ante vocatio-  
nem, Fabricii sententia expeteretur. A legatis  
igitur ad illum duo, unus ex Senatu, alter ex  
Ministerio. Fabricius ubi intellexit, quid a-  
ctum esset, Si me, inquit, audire vultis, ab  
hoc homine vobis cavebitis, quem scio esse  
archisacramentarium. Illi *καγαδόζα* & prope-  
modum importuno responso perturbati disce-  
dunt, meq; paulò post de omnibus, qua delibe-  
rata fuerant, edocent. Ego stomachari, &  
in indignatione literas ad Fabricium exarare,  
quibus expostulabam cum ipso, quòd nulla af-  
finitatis ratione habita & affectionis paterna,  
qualis praeceptorum erga discipulos esse solet,  
commodis meis & honoribus obstaret, quorum  
si non autor, saltem adiutor esse debebat. Has  
litteras unà cum earum exemplo ad Peucerum,  
qui tum Stolpena in vicinia apud Electorem  
commorabatur, misi, rogaviq; ut si putaret e-  
as rectè reddi posse, ad Fabricium perferendas  
curaret: sin minus, ut conscinderet, vel abjice-  
ret. Peucerus literas suppressit, rescripsitq; se  
nuper adeò in transitu certis indicis deprehen-  
disse,

disse, Fabricio vitam diuturnam esse non posse. Quod si forte accidat, ut lectionem literarum mearum iacundius scriptarum commotiuncula aliqua animi gravior consequatur, & morbi sevitia irritata Fabricium extinguat, futurum aiebat, ut omnes me mortales execrarentur, qui praeceptoris de me adolescente optimè meriti quasi parricida essem. Vix literas Peuceri legeram, cum nuncius allatus de obitu Fabricii (quem repentina ἀπὸ πλῆθους miseris hujus vita eripuerat) & Peuceriana conjectura sagacitatem comprobavit, & me conscientia ac existimationis periculo liberavit. Sed redeo ad gratiam Peucerianam, de qua cum multum sermonum esset & Budissina & alibi, memini patruelem ejus, ipsi Peucero *πατρὸς υἱόν*, virum gravem & Senatorii ordinis, ad hunc ferme modum mecum loqui. Ego, inquit, patrueli meo ex animo gratulor, & mihi totius familiae nostrae nomine gaudeo, quotidie audiens aliquid de incremento benevolentiae, qua potens ille Princeps **PEUCERVM** prosequitur:

C 2

sed

sed quia natura ejus vehementior mihi nota,  
 notus animus apertus & nulla simulatione  
 tectus, notior etiam *παρρησία*, qua in aulis par-  
 cè utendum, valdè vereor, ne ea gratia, qua  
 modò fruitur, paulò post excidat. Hæc ipso  
 dicente, in mentem mihi tum venit Callisthe-  
 nis, optimis moribus artibusq; præditi Philoso-  
 phi, qui haudquaquam, ut Curtius loquitur,  
 aula & assentantium accommodatus ingenio,  
 indigna morte affectus est, in iti consilij in ca-  
 put Regis Alexandri planè innoxius. Porro  
 verè dictum à Luciano: *Ἔοικεν δὲ χη κακῶν μεζούων γί-  
 νεσθαι πολλόκις ἢ πρὸς τὸ βέλτιον μεταβολῆ.* h. e. Mutatio  
 in melius videtur non raro primordiū majorū  
 calamitatum. Fortuna Peuceri nihil vide-  
 batur esse splendidius, nec felicitati ejus quic-  
 quam deesse putabatur, cum repente calumni-  
 is ( *δεινῶν αἰθρώποις κακῶν* ) oppressus est, natis ex edi-  
 tione Catecheseos V Vitebergensis, & libri cu-  
 jus titulus est *σερέωμα*. De utroq; minus clemē-  
 tes sermones audiebantur etiam bonorum vi-  
 rorum, sed minus diligenter versatorum tum  
 in lectione antiquitatis, tum in repetitione do-  
 ctрина

*etrina Philippica, ex qua tota Catechesis de-  
sumta fuerat, non tantum phrasibus Philippi,  
sed propemodum etiam syllabis & literis reten-  
tis. Nonnulli adeò insaniebant, ut Cateche-  
sin illam flammis dignam dicerent, quorum  
importunitas hoc mihi Epigramma olim ex-  
torsit, Catechesin ipsam loquentem intro-  
ducens:*

Quid tandem merui, quænam his blasphemia chartis  
Insidet, aut tandem queis scateo hæresibus?  
Vestra ut me rapido censura adjudicet igni?  
Vrite: nulla mihi flamma nocere potest.  
Vrite, vel ferro me scindite, vel maris undis  
Mergite; charta perit, dogmata vera manent.

*Valdè autem ridiculum erat, tantas turbas  
excitari propter versionem Beza, quæ testimo-  
niis inserta totam Catechesin suspectam de  
Zuinglianismo, ut loquuntur, reddiderat, in-  
primis apud nonnullos pastores, de quibus vir  
quidam doctus non illepide dixit: solere eos esse  
contentos parva Lutheri Catechesi, & capaci-  
ore cerevisiæ cantharo. Ad sequentia quod atti-  
net, fassus est Peucerus, se illustrissimo Ele-  
ctori autorem fuisse, ut totum pellegeret, quòd  
sciret*

sciret in eo ex <sup>ni</sup> immotam & irrefutabilem  
 veritatem. Quin etiam Principibus ipsis o-  
 fendit, se nolle esse civem ejus Ecclesie, in qua  
 secus doceretur de Persona Christi. Caterum  
 exulcerato nonnihil principis animo, cui suspi-  
 ciones valida insederant, novas turbellas de-  
 dit publicata Exegesis, in cujus autorem solen-  
 niter inquisitum V Viteberga, per legatos E-  
 lectoris. Eisi autem typographus autorem  
 nominarat, & indicarat à quo exemplum ἐξ-  
 ἤνεως accepisset, compluresq; erant, qui testa-  
 rentur ante multos annos ab eodem sibi hoc cō-  
 municatum fuisse: in Peucerum tamen se-  
 mel commota suspicio, quasi ab eo exegesis pro-  
 fecta esset, indies malevolorum & invido-  
 rum, ut ego suspicor, sermonibus, qui aliquid  
 ex privatis Peuceri colloquiis liberius habitis  
 exceperant, confirmabatur, donec tandem  
 manifesta erumperet indignatio principum,  
 jam pridē illa quidē clam astuans, sed tum ne-  
 scio, quibus aulici Concionatoris verbis minus  
 convenientibus tota inflammata. Hic lubet  
 paulisper digredi, ita tamen ut à præmissis ar-  
 gumento, non longè recedam: sentiat q̄ que



quod volet. Nihil magis, ut ego <sup>scio</sup> to, offendit  
 Electorem magnanimum, quam quod non di-  
 serte opinionem Sacramentariam, vulgo vo-  
 catam, Pencerus vel probaret vel improbaret,  
 sed in volucris quibusdam & ambiguis respon-  
 sis dubium querentis animum relinqueret, ma-  
 gis εὐλαβειᾶν σοcei imitans, quam sua natura  
 morem gerens. Quae prudens, ut tunc existima-  
 batur, temporis multorum opinione conveni-  
 ens tergi versatio etiam in aliis deprehende-  
 tur. Memini me ab Esromo aliquando non le-  
 viter objurgari, quod nimis liberè sententiā  
 orthodoxam defenderem, opus esse circumspe-  
 ctione politica, ne intempestiva παρρησία rebus  
 communibus noceat. Respondi ego simplici a-  
 nimo, Me natura abhorreere à simulādi studio.  
 Ac in veritatis divina professione nihil loci esse  
 ejusmodi artibus. Addidi autē quasi vates ali-  
 quis & hoc: Vos dabit is aliquādo pœnas hujus  
 politica cautionis: Vestrū erat, veritatē publicè  
 & apertè profiteri. Iam vultis à nobis in scholis  
 frāgi glaciē, ut facilior exitus vobis pateat: &  
 tamē <sup>ignamini</sup> namini, si quid apertius à nobis pro-  
 ferat <sup>non</sup> Sed

Sed redeo unde abii. Postquam igitur, ut dixi, iracundia vehementi Elector exarsit, Calendis April. anni millesimi quingentesimi septuagesimi quarti, Praefectus arci V Vitebergensi Ernestus V Vetin, mandatu illustrissimi Electoris, & arresto Peucerum obligat, & promittere jubet quod velit primo quoque tempore Dresda se sistere: simul omnia conclavia, arcas, cistas, repositoria, actutum reserari & aperiri imperat, litterasque omnes, siue Gracas, siue Latinas, siue Germanicas reperisset, collectas asportari. Etsi autem tum Peucerus erat valetudine valde afflictus, ne tamen cunctando & moras nectendo in suspicionem aliquam vocaretur, in viam se dedit. Dresdam ut venit, jussus arcem ingredi, conclavi includitur satis commodo & omnibus rebus necessariis instructo. Altero tertioque a captivitate die impetravit, ut, quia infirmior erat, medicus ad se admitteretur Senex optimus, Ioannes Nævius. Ex hujus sermonibus intellexit Peucerus, accusari se de conscripta & divulgata exegesi: diebusque aliquot post è custodia à satellitibus

litibus deductus est ad *συνεδριον* Consiliariorum, ex quibus Lindemannus accusationem ita instituit, ut quatuor articulis illa comprehendi videretur. Primus erat de clandestinis conspirationibus & occultis artibus (vulgo practicas vocant) quibus conatus fuerit nova sacramentaria dogmata in terras Saxonicas introducere. Alter, quod chartas & libellos de his sparserit. Tertius, quod Theologos Academia ad defensionem horum dogmatum animosiores & alacriores reddiderit. Quartus, quod externos Theologos incitavit adversus Ecclesiarum Saxonicarum Doctores. Primum simpliciter negavit. Ad secundum se responsurum dixit tum, cum prolata essent ea, qua in hoc genere à se vel emissa vel sparsa dicerentur. De tertio & quarto breviter se expedivit, cum peteret nominari sibi illos Theologos, vel domesticos, quos animavit, vel externos, quos incitavit. Hæc Peucero elocuto, Lindemannus, Conspirationis inquit, socios habuisti Doctorem Cracovium, & M. Christianum aulae Concionatorem. Adducantur igitur illi, inquit

D

Peu-

Peucerus, & liquido demonstrantur conspirationes, & practica quas vocatis. Mox Lindemannus proferre epistolam à Peucero ad Christianum scriptam, cujus initium complectebatur cohortationem ad studium concordia, cum moneret illum, caveret, ne collegam suum irritaret. Inter alia autem etiam hæc verba adjecta erant: Veritas, quam tot profluvia sanguinis in Gallia & Belgio extinguere non potuerunt, tandem est in his terris triumphatura. His verbis Electorem valde offensum esse, Lindemannus dixit: quod equidem vix credo, cum constet & Albani crudelitatem, & Gallicas lanienas vehementissime Augusto displicuisse. Ac de veritate sane nihil verius dici potuit, attestante historia Ecclesiastica, & omnium seculorum experientia, hominumque sapientissimorum suffragatione, sive humanam sive divinam veritatem intelligas. De humana Polybius gravis autor:

καὶ μοι δοκεῖ, ἰνquit, μέγιστη θεῶν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδείξει τιμὴν ἀληθείας, καὶ μέγιστην αὐτῇ πρὸς ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων διακρίνειν. Πάντα γοῦν αὐτῇ καταγινώσκουσιν, εἴτε καὶ πασῶν τῶν  
 πιδωο.

ἐπιθαινομένη μετὰ τῆ ψεύδους περιουσίαν, ὅσα οἶδ' ὅπως αὐτῆ  
 δι' αὐτῆς εἰς τὰς ψυχὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων, ἢ ποτὲ μὲν πα-  
 ραχρῆμα δάκρυσι, τῶ αὐτῆ δαύαμιν, ποτὲ ἢ πολλῶ χρόνῳ ἴππ  
 σκοποῦσθε τέλῃ αὐτῆ οἱ αὐτῆς ἴππ κρῆται ἢ καταγαίριζεται  
 τὴ ψεύδῃ. Hoc est:

*Inter Deos maxima natura, ut mihi vi-  
 detur, hominibus demonstravit veritatem, &  
 ἔξ maximam ei vim addidit. Vnde fit, ut  
 etsi hanc omnes oppugnant, atq; à mendacij  
 partibus sape stant omnes probabiles persua-  
 dendirationes: illa tamen nescio, quo pacto  
 per se ipsa illabatur, ἔξ irreat in animos ho-  
 minum: ἔξ interdum statim ostendit vim  
 suam, interdum diuturnis tenebris oppressa,  
 tandem ipsa per se vincit, ἔξ mendacium pro-  
 fligat. Vt verè, Cicero in Orat. pro Calio dix-  
 rit: O magna vis veritatis, que contra ho-  
 minum ingenia, calliditatem, solertiam, con-  
 traq; fictas omnium insidias facile se per se ipsa  
 defendat. Et in Orat. pro Cluent. Sape  
 multorum improbitate depressa Veritas e-  
 mergit, ἔξ innocentia defensio interclusa re-  
 spirat: quod aut hi, qui ad fraudem callidi  
 sunt, non tantum audent, quantum excogitant:*

D 2

aut

aut illi, quorum eminent audacia atq; projecta est à consiliis malicia deseruntur: quod si aut confidens astutia, aut callida esset audacia, vix ullo obsisti modo possit. Clausula veritatem Iesuitarum comprobat improbitas, quorum audaciam callidam ne Reges quidem effugere possunt. Sed redeo eò unde discessi. Inter externos Theologos nominatus fuit Theodorus Beza, quem incitavit Peucerus adversus Selneccerum. Respondit Peucerus, sibi cum Beza ut cum viro docto amicitiam initam tempore Colloquii V Vormaciensis. Ab eo tempore vix ternas ab illo se literas accepisse, & intra sexennium nullas. Ac argumenta earum non fuisse Theologica, sed historica de regnorum externorum statu. Hoc responso dato, jussus secedere: paulò post revocatus est, reverso ab Electore Lindemano qui cum nihil haberet quod proferret, ostensa formula dimissionis, futurum ait, ut e carcere liberetur, si ea se obligari patiatur. Passus hic est aliquid humanitus Peucerus in summa illa animi consternatione, cum solus esset, & in leonis, ut dicitur,

tur,

tur, unguibus. Sua enim ipse subscriptione  
 approbavit, qua nunquam fecerat, & eorum  
 se reum fassus fuit, qua nunquam admiserat.  
 In primis autem cum alia, tum hoc deploravit  
 vero & tristi cordis gemitu, quod ad silentium  
 se obstrinxisset de articulo Cœna, cum filius Dei  
 omnibus praceperit sui confessionem. Agnovit  
 hunc lapsum suum, & culpam sauciata conscien-  
 tia apud Deum supplice abjectione sui deprecatus  
 est propter filium Iesum Christum. De  
 Iorgensibus actionibus nihil addo, nam &  
 temporis habenda ratio, & aliunde illa cogno-  
 sci possunt, & sunt potissimum ex tristi illa  
 obligatione, de qua diximus, deducta. Omit-  
 to etiam novas inquisitiones institutas de con-  
 spirationibus & practicis maxime cum Pala-  
 tinensibus, & nominatim cum D. Ehemio,  
 quem tamen Peucerus V Viteberga neq; vi-  
 derat, neq; scire absens poterat, qui eum con-  
 venissent. Omitto quoq; Rochlicianam ca-  
 ptivitatem, & examen a praclaro illo Consule  
 Rauschero institutum, qui superioribus articu-  
 lis etiam hanc addidit questionem: Quomodo



fidelis esse Principi Electori potuerit, cum ab  
 eo in hoc capite religionis dissenserit: Quasi ve-  
 rò statim de fidelitate suspecti esse debeant, qui  
 opinionibus à nobis discrepent, & dissimilitu-  
 do sententiarum statim etiam animorum con-  
 sensum tollat. Hac ratione insimulatur per-  
 fidia, qui Christiani in impurissimi Neronis  
 aula vixerunt. Iam qua occasione Rochli-  
 cio Lipsiam migrare iussus sit, quantum mi-  
 seriarum, calamitatum, molestiarum, in  
 carcere per decennium subierit, quantum do-  
 loris ex morte conjugis dilectissima & familia  
 dissipatione senserit, quantum acerbitatis in-  
 terminas & insultationes exhausserit, quan-  
 tum oppugnationis, qua ad defectionem im-  
 pelleretur, sustinuerit: qua ex carcere ad Ele-  
 ctorem scripserit, quam fortiter & constanter  
 sententiam suam, quam antea languidius &  
 timidius asseruerat, semper iisdem propemo-  
 dum verbis Electori hoc ipsum admiranti &  
 aliorum levitatem improbanti, expositam  
 defenderit, paucis commemorari non potest,  
 atque ex his omnibus non una, sed plures ora-  
 tiones



tiones conficiantur. Iam verò cum DEO  
 omnipotenti visum esset gloriosum illum ath-  
 letam ex occluso & obscuro stadio in lucem &  
 arenam publicam educere: ad pulcerrimam  
 hujus Tragedia catastrophem præ reliquis uti  
 voluit illustrissima & nobilitatis antiquissi-  
 ma laude florentissima familia Anhaltina o-  
 pera, cujus affinitate cum ipso Electore recens  
 contracta, & deprecationis justissima aequitate,  
 tandem factum est, ut à custodia, in quam con-  
 tumeliosè intrusus fuerat, honorificè extrabe-  
 retur. Hoc beneficium, quo nullum majus  
 in his terris eo tempore in PEVCERVM  
 proficisci potuit, ejusdem familia proluxa libe-  
 ralitas ad omnem posteritatem commendan-  
 da, beneficentissimè auxit & cumulavit,  
 cum nihil PEVCERO deesse pateretur,  
 tum quod ad victus & habitationis commo-  
 ditatem, tum quod ad dignitatem viri præ-  
 stantissimi coonestandam pertineret.

In quo officii genere etiam non re-  
 ticenda Palatina & Hassiaca domus  
 in Peuce-

in Peucerum humanitas & munificentia,  
 quam is gratissimo semper animo agnovit, &  
 ad omnes mirifice predicavit. Non autem tã-  
 tum Principum singulare in ornando Peuce-  
 ro studium extitit. sed à privatis etiam, qui-  
 bus constantia illa admirabilis visa, nihil ob-  
 servantia pretermisum, nihil eorum omissum,  
 unde aliqua ad existimationem & honorem  
 ipsius accessio fieri posset: ut calamitas illa su-  
 perior non tam imminuisse amplitudinem  
 Peuceri, quàm auxisse videretur, & compro-  
 baretur illud: Honorantes me honorabo. Vi-  
 xit igitur post educationem illam ex carcere  
 illustrem, annis 16. valetudine optima, &  
 multò firmiore, quàm qua usus in florente for-  
 tuna fuerat. Carus Principibus, bonis ama-  
 bilis omnibus, ita ut & dignitate, quemad-  
 modum dixi, non minus quàm ante emineret,  
 & damnum rei familiaris matrimonio satis  
 opulento compensaret. Ne tamen hoc gaudi-  
 um ( qua est rerum humanarum conditio :  
 μηδὲν ἐστὶ τῶν μεγάλων εὐτυχημάτων, ut Plutarchus ait, ἀκατα-  
 τορ εἰς ἡδονὴν ἢ κατὰ τὸ ἀπὸ μὲν κακῶν ἢ ἀγαθῶν ποιήματα  
 τῷ ἀνθρώπῳ βίον ) ne igitur hoc gaudium solidum  
 esset

esset, infuscavit id filij carissimi, Medicina  
 Doctoris & Patri cognominis, mors immatu-  
 ra, cujus studia, labores, itinera, supplicatio-  
 nes, interpellationes, compellationes, preces, hoc  
 tandem per multos annos egerant, ut pater ex  
 carcere eriperetur. Cujus fidei & amoris me-  
 mor Peucerus, non poterat non confici aegritudi-  
 ne, amisso eo, ad quem liberationis laticia &  
 fructus potissimum pertineret. Verum enim-  
 vero in hac tristi plaga Deus misericordie sue  
 oblitus non est, substituto in filij locum nepote,  
 de cujus eximio ingenio ea spes apud nos omnes  
 concitata est, ut si eo studiorum quo coepit cur-  
 riculo perrexerit, nemo dubitet, quin quemad-  
 modum & patri & avo est *ἐπιάνου*, sic utruq;  
 tum optimarum artium, tum Medicina scien-  
 tia aequaturus sit. Omitto generos, viros  
 virtute & eruditione praestantes, I. V. & Medi-  
 cina Doctores clariss. quibus elocavit & filias  
 & neptes, quorumq; humanitas, observantia, ob-  
 sequium maximo illi in malis solatio fuit, & in  
 meliore fortuna ornamento & voluptati. Iam  
 de obitu Peuceri aliquid addendum erat: sed

E

exopta-



exoptatissimum & felicissimum fuisse, ex ut-  
 timis literis, quas ad me dedit, affirmare au-  
 sim. Ita enim scribit: Totus nunc deditus  
 & addictus sum Deo precibus & meditationi-  
 bus piis, in hac extrema mea & virium omni-  
 um defectu planè prostrata senecta, in qua nil  
 gravius mihi accidit memoria & visionis  
 sepius. Deum mecum & pro me ores obsecro,  
 propio, sancto, beato, placido, & in fide ac cō-  
 fessione constante fine atq; exitu vita. Atque  
 hunc ei obtigisse, his ipsis exaratis cognovimus  
 ex Bersmani affinis literis, quarum initium  
 hoc est: Narro tibi luctum communem. Postri-  
 die Calend. Octobr. Iulian sepelivimus præce-  
 ptorem & amicum nostrum veterrimum &  
 optimum Peucerum, curante funus, ac prose-  
 quente etiam Illustriss. nostro una cum conjugē  
 & aula illustri. Diem suum supremum obi-  
 jt A. D. VIII. Calend. Octobr. qui fuit anni-  
 versarius XI. obitus Iosie Germanie, aut, si  
 mavis, patrie nostrae, Christiani Pr. VII viri:  
 hora meridiem precedente quadrantibus tri-  
 bus, exitu beato, placidissimoq; & omnino pi-  
 etate

etate sua digno. Sed audi quæso Omen siue  
 presagium mortis illius mirabile. Horologium  
 quod habuit de illorum genere, quæ automata  
 appellantur, eo ipso momento, quo vir sanctis-  
 simus vivere in his terris desijt, sonitum ere-  
 didit, cum toto biennio immotum & à pavor,  
 hoc est, insonum, ut cum Apulejo loquar, qui-  
 evisset, ac biduò ante ipsius obitum à conjugè  
 custodia causa in cista esset depositum. Atque  
 cum iclu malleoli ultimo, hoc est undecimo, a-  
 nimam ille exhalavit, magna cum admirati-  
 one astantium, quibus de horologio illo nihil e-  
 rat exploratum: inter quos fuit & M. Bren-  
 delius Concionator aulicus, qui animam agē-  
 ti præstò fuit, ac pro concione hac ipse narrauit.  
 Non autem corporis morbo aliquo extinctus,  
 sed marasmo senectutis confectus vitam in his  
 terris, clausis sibi metipso oculis, absq; ullo dolo-  
 ris sensu finiit inter preces sanctiss. & ardetissi-  
 mas. Hactenus Bersmanus. De obitu igitur  
 tam pio & beato gratulemur PEVCE RO,  
 subtracto jam invidorum, malevolorum, obtre-  
 ctatorum, arrodentiũ nomen ipsius calumniis,

conviciis, insectationibus, & recepto in nume-  
rum Martyrum & Confessorum, misericordiam  
omnipotentis Dei, cujus est omnis laus, honor,  
gloria, regnum, victoria, potestas seculis infi-  
nitis. Amen. Orationem, ut soliti sumus,  
finiemus epigrammâσι Πηπειφίσις.

## Peucerus loquitur.

**Ι**πώκροάτης, Πτολεμαῖος, Εὐκλείδης, Ξενοφῶν τε  
κεκροπιδῶν τ' ἄλλων μυριάς ἰσορικών,  
τῶν τε σοφῶν πάντων ἱστομνήματα, ὅσα παλαγοῖς  
βιβλιοθήκη ἔδειξ' ἀνδράσιν, ἠδὲ γένοις,  
φροῦδ' ἐνὶ δυσυχίητιν δαίωχετο, πῶς τις ἔμεινεν  
μνήη ἐνὶ χριστῶ καὶ κλέος εὐσεβείης.


## Idem Latine.

**H**ippocrates, Ptolemæus, & Euclides, Xenophonq;  
Innumeriq; alii Cecropidum historici,  
Doctoremq; libri, quotquot vel prisca, vel ætas  
Nostra dedit, gravibus nil potuere malis  
Ferre opis: in Christoque fides mihi sola remansit,  
Et junctum vera cum pietate decus.

## A L I V D.

**D**onec in his terris est duratura Philippi  
Gloria, Peuceri fama superstes erit,  
Quæ focer asseruit divinis dogmata verbis,  
In Phylaca studuit vera probare gener.  
Multis nosse datum est quæ sit sententia vera,  
Sed paucis vera pro pietate pati.

Ænigma



## Aenigma sive Idyllion.

**A** Bietis alma soror nunquam pice fluxit  
amara, (vo,

Parte sed ex omni liquido manabat oli-  
Tota salutiferi diffundens flumen odoris:

Iamq; erat & sylvis & montibus ornamento,

Cum gravis ex alto tempestas orta repente,

Si vi, si ve die longa radicibus omnem

Dejicere ex imis, mediamq; infringere posset.

At stetit haec contra: donec tranquillior aura

Horrisonos flatus, & densos dispulit imbres.

Egit deinde aliò longam traducta quietem,

Stillans ambrosios veteri de cortice succos,

Pyxide marmorea quos collegisse juvaret,

Certo vulneribusq; bono, morbisq; futuros.

Tandem sylvarum sator hoc ex ordine, celsas

Inter sublatam cedros docta arte locavit:

Non illic metuens Borea, saevaq; securis,

Incolit aethereas sedes, vitamq; perennat.

Eucharius Anthelius.

E 3 MEMO-

## MEMORIAE

VIRI CLARISS. ATQ. PRÆSTANTISS.  
 AC SINGULARIS PRORSVS EXEMPLI O-  
 mnipotentiae, misericordiae, ac veritatis divinæ D. CASPA-  
 RIS PEUCERI, &c. communis Præceptoris, &  
 S. tanquam fratris.

**C**onditur hoc tumulo meritis vir magnus & arte,  
 Constanti nullo ceu pietate minor.  
 Gaza cui nomen dederant Peuceque bilingue,  
 Conveniens fato nomen utrumque suo.  
 Nam neq; Persarum quos jactat fabula montes,  
 Nec piceæ sudans cortice gemma picis,  
 Divitiis certent fecundi pectoris, æquent  
 Ingenii omnigenas vberioris opes:  
 Quas olim pendens V Viteberga docentis ab ore  
 Suspexit, quas cum Vespere laudat Eos.  
 Quando tuæ consors operæ, divine Melanthon.  
 Præstabat socero munia juncta gener:  
 Munia, quæ fatis te functo solus obibat,  
 Adsciscens aliis commoda, nulla sibi:  
 Victuræ demas illi si laudis honores,  
 Dum Suevus patriam flumine lambet humum.  
 At monumenta operum tot & inter tanta suorum,  
 Leucorea quæ nec livor in urbe premet,  
 Cerbereis miseras feriens latratibus auras,  
 Nec sacris parcens manibus ore, stylo:  
 Eminent excellens fidei confessio rectæ,  
 Luciferi quantum Cynthius ante jubar:  
 Carceris ærumnis denos spectata per annos:  
 Hunc illi hæresium fæda cloaca dedit.  
 Quòd carnem celo miscere, probare recusat  
 Idolum coenæ vim magicamq; sacræ.

Ac



Ac procerum mavult odium perferre minasq;  
 Atq; harumstarum probra scelusq; pati,  
 Fortunæq; vices varias, fraudisq; nefandæ:  
 Assertam Christo quam temerare fidem,  
 Credere concessum cunctis est munere Christi:  
 Martyrii raros flore coronat honor.  
 Nam neque cunctorum est animi par robur, & impar  
 Haud ulli imponit Iehova fidelis onus.  
 Et, quo quemque premit, iuxta subit ipse levando:  
 Sic melius focia sarcina fertur ope.  
 Ergo rogis hos ingestos excercet in igne,  
 Istorum explorat flumine teste fidem.  
 Illos carnifici laniandos objicit, illos  
 Crux infanda, alios lora rota ue probant.  
 Et quis poenarum percurrat nomina, Christi  
 Quæ sectatores huius ab hoste manent.  
 Carceris est quarum nulla fors mitior, exfors  
 Sanguinis, at poenæ durior usq; mora.  
 Hinc amaranthæa redimitum fronde, supremo  
 Te, PEVCERE, die sexta reposta manent.  
 Quæ Deus, invictæ iudex præsesque palæstræ  
 Imponet capiti martyris ipse sui.  
 Interea totum grassatur fama per orbem  
 Nominis æternum laude manente tui:  
 In libris expressa tuis qua mentis imago  
 Vincit Apellæ quodlibet artis opus.  
 Quorum non titulis sunt hæc monimenta ferendis,  
 Heredes merito quæ posuere patri,  
 Nissanæ cui metropolis cunabula terræ,  
 Hospitii usuram Dessa, obitumque dedit,  
 Post septem ætatis decades, bis quatuor annos,  
 Claudenti heroum secula sine suo.

VERSUS

## VERSUS EPITAPHII.



*Valis cognatum supra genus eminent  
 arbor, (de fuit,  
 Dimidium hic posito nominis un-  
 Perpetuosq; gerit, lauri instar, frondis honores,  
 Non estū mutans illa geluue comas:  
 Haud secus hic ingesta tegit quē terra sepultū,  
 Inferior nullo dotibus artis erat,  
 Artis Apollineæ præclaris dotibus, usu  
 Cum rerum, & varia cognitionis ope,  
 Et meritis, & sincera pietatis amore:  
 Usq; sibi constans, propositiq; tenax.  
 Carcere martyrium cuius prælustre decenni  
 Utraq; sub Phœbi lampade novit humus.  
 Quem tulit impavidus vitam pro lege pacisci,  
 Oblitusq; sui, coniugis, atq; domus.  
 Nempe quod his Christi dulcē præferret amorē,  
 Illi nec procerum poneret ante minas.  
 Hospes, disce Dei iussis postferre dynastas,  
 Quisquis in hoc tumuli marmore scripta  
 leges.*

DE

## De eiusdem obitu.

**A** Tropos, Invidia gratum factura, recidit  
 Peucero dudum stamina grata parū.  
 Cui vitā cernēs fugientē Fama sub um-  
 Ote falsam animi consiliq; refert. (bras,  
 Nam, vitæ quod ei resecas, meliore rependam,  
 Victurum tribuens nomen ab exequis.  
 Sic, atate satur matura, extendet in ævum  
 Et decus, & laudem nominis, omne sui.

## AD EVNDEM.

**S** I tibi frater eram, scriptis quod & ore  
 ferebas,  
 Cur obitu fratrem deseris ipse tuo?  
 An, quod abhorrentē mundi Satanaq; furores  
 In vivis tædet longius esse senem?  
 An, quia maiorem natu præire iuvabat,  
 Hospitium fratri præq; parare tuo?  
 Quod si fata mihi dederint superare tot annos,  
 Quot te sum natu nunc abeunte minor:  
 Tot seculi scelerum faciebus corde rigescens,  
 Pro tumuli ipse mihi marmore marmor ero.

## PSALM. CXL.

Eripe me Domine ab homine  
malo, &c.

*Quem Psalmum, sicut plerisque omnes, assidue  
ardenterque aeternum Deum pro Ecclesia in-  
vocando, in soliloquiis suis praecipue famili-  
rem habebat opt. Peucerus noster.*

*Ex paraphr. Psalmor. G. B. δατέου Φερτίδες.*

**V***id immerentem quid, supreme celitū  
Rector, nocentūm turba vexat impro-  
Horum malignitatis à versutia, (ba?  
Violentiāque me tuere injuria.*

**2** *Quibus ebrium cor fraudulentia dolis  
Eruat ore praliorum pabula:  
Hac fabricaque fraudis ac discordia  
Cedes anhelat ac cruorem faucibus.*

**3** *Intentat ictus lingua acutos vipera,  
Dirumque labra virus aspidum vibrant:  
Quod ore manat prodigo calumniis,  
Mendaciique inanitate turgido.*

*Ab*

4 Ab impotentis me viri manu assere,  
 Nec impiorum dede pervicacia,  
 Quos, ut fugatum subruant, molimina  
 Nonnulla manè non fatigant vespere.

5 Qua namq<sup>3</sup> pes est parte ponendus mihi,  
 Tendunt superbi caca ituro retia,  
 Quibusq<sup>3</sup> gressus ambulantis implicent,  
 Occulta neclunt semitis clam vincula.

6 At hostium tu casibus circumdato  
 Tu sola, dixi, spes mihi pandis viam:  
 Te posco votis; tu benignas commoda  
 Aures precanti, nec querelas respue;

7 Mea, Iehova, qui salutis portus es,  
 In cuius omnis acquiescit numine  
 Fiducia, omnis pendet à tutamine  
 In praeliorum me regentis fluctibus.

8 Ne ne malignos improbis frui sinas  
 Votis, nec horum cogitatis exitum  
 Largire, frange dextera conamina,  
 Superbia ne crescat insolentia.

9 Iube in magistrum fraus redundet ut suū,  
 Lingua venenum pestilentis principem  
 Invergat ipsum factionis improba

Cum gente, qua me lancinat conviciis.

10 Ardentis hos fac obruat vis turbinis  
Prunas pluentis: missa celo fulmina,  
Pes unde nesciat regressum, Tartari  
Actos sub atram proruant voraginem.

11 Lingua procacis impotens vesania  
Haud sede certi gaudeat vagans laris:  
Furorq; mentis inquiet a persequens  
Sua merentem noxia venabitur.

12 Nec vana jactō: namque pressos asseret  
Contra scelestam lebova praestō audaciam,  
Qui jus tuetur pauperis calumniam  
Adversus, injustaq; vim potentia.

13 Hinc te piorum laude tollet natio  
Aequi patronum, vindicem innocentia,  
Defensionis quae tua praesentia  
Emergit, hostiumq; franget machinas.

Gregorius Berfmanus  
F.

IN

IN OBITVM CLARISSIMI  
viri, D. Casparis Peuceri, Medicinae  
Doctoris, & de Republica literaria  
optimè meriti.



Væ non sustinuit multa bonus arte ME-  
LANCHTHON,  
PEVCERVM voluit fata subire Deus.  
Iratos proceres, & fædi carceris umbras,  
(Cæsare nil precibus proficiente suis)

Exiliiq; graves, per multa pericla, labores,

Et vulgi tumidas impietate minas.

Quæ sit causa, rogas! toti illa innotuit orbi,

NEMPE, incorruptæ Relligionis amor.

Illa virum meritò summis æquasset Olympo

Laudibus, ingenio si suus esset honor.

Verum inviderunt, quos par tùm iunxerat ætas,

At nec doctrina nec pietate pares.

QVAS non (Leucoridas testor mea gaudia, nymphas)

Divite Musarum pectore fudit opes!

Seu Sophiam spectes, seu doctam, Mome, Mathesin,

Seu qua corporibus pellitur arte dolor:

Seu gesta Heroum, quæ annalibus edita priscais

Præmia virtutis, non moritura canunt:

Seu quæ vera fides, qua sola ascenditur æther,

Atq; animo colitur non trepidante Deus:

Certè, haud, PEVCERO meliorem, Academia vidit,

Exceptis Musis, sancte PHILIPPE, tuis.

F 3

HINC

HINC soceri (haud vanum) ingressus vestigia, multos  
Pieridum sacros fecit adire choros.

Cœptaq; sunt radio describi pontus & æther,  
Terrarumq; , poli pro ratione , plagæ :

Et quæri herbarum vires , succiq; salubres,  
Quaq; suas variant sidera, lege, vices.

Nil equidem in Sophiæ studiis, reor, esse relictum,  
Quod non PEVCERI floruit ingenio.

QVÆ verò tandem retulisti digna laborum  
Præmia? quæ curis gratia parta tuis?

Gens quædam, monstris nuper conflata duobus,  
(FLACCIOBRENTIANOS indigitare solent)

In te conspirant: furiisq; immanibus acti,  
Quas vitæ insidias non posuere tuæ!

Quis non te immeritum dictis, odiisq; gravarunt!  
Quas capiti diras non cecinere tuo!

Illi ipsi (infandum) qui nunc in pace fruuntur,  
Quæ tua collegit cura laborq; , bonis.

Argolico esse usos quandoq; Sinone magistro,  
Sisyphidemq; Ducem consuluisse putes.

Nec requieverunt, donec te Saxonis ira  
Perpetui voluit carceris esse reum,

Qualia tunc passus, dum ter quater orbe reverso  
Æquoris hyberno constitit unda gelu!

Vere prius flores culti numeraveris horti,  
Quotq; latent apri vallibus Harcyniis:

Quàm tibi curarum statuatur summa tuarum,  
Atq; omnes versu persequar ipse meo.

ERGO, quod in socero haud potuit manus improba  
Heu Præceptori non benè grata suo: (FLACCI  
Id,



Id, postquam infelix nata est Concordia, septem  
 In genero, visum est obtinuisse, viros.  
 Sed bene res cessit: Te cæco ex carcere ductum:  
 Exceptit maior gloria honorisque senem,  
 Nam tua cum facili puppis decurreret aura,  
 Fasque esset coelo liberiore frui:  
 Languiebant vires, & pallor in ore sedebat,  
 Nil opera medico proficiente sua.  
 Ast ubi te tenuit muris atque aggere septum,  
 Annisque & curis, arx Philyræa, gravem:  
 Tam non defecit vigor & calor ossibus ægris,  
 Officium medici tunc faciente Deo,  
 Maiorem ut dicas membris venisse vigorem,  
 Naturam leges nec tenuisse suas.  
 Testes, cum Rheno & Fulda, Picastræ, & Albis,  
 Quique suo montes separat amne Nicer.

NVNC igitur placida compositus morte quiescis,  
 Gaudiaque ætherea sede receptus agis.  
 Nam deinceps nulli casus, custodia nulla  
 Quicquam in te exutum corpore iuris habent.  
 Quæ verò constante fide tibi gloria parta est,  
 Vivet, dum, Christum qui celebrabit, erit.  
 Et tu, qui hoc nostri monumentum & pignus amoris:  
 PEVCERIQUE sacrum, legeris, exuviis:  
 Disce pati: & variis maturè assuesce periculis,  
 Si gustum veræ Religionis habes.  
 Splendentisque aulae nimium ne crede favori,  
 Non ita Luna suas mutat, ut aula, vices.

Henricus Majus S. Theol. Doctor  
 Heidelbergæ scribebat.

FINIS.

Id. postquam in illis natus est Concordia, septem  
la genere, vltim est obitum, vnos  
Sed pater eorum, I. carter ex carter ducum  
Hic pater noster gloria honoris tenem  
Nam ut cum facili pupis de curia tua  
Iud. esset coelo haurire frug.  
Ianguant vites, & pallor in ore debar  
Illi vna medico pateris la  
All ubi eam munitis ad, ager septem  
Anali; & curis, six Philias, gravem;  
Tam non deicit vigor & calor olibus arvis  
Ostentim medici tunc facit Deo  
Mior in dies munda, & de videri  
Natura mior, hauriente has  
Telles, cum Rheno & Iudis, Picalter, & Alpis  
Quis; suo nomen, septuam, Nicer.

IN VNC igitur plura componere quibus  
Quibus; videri videri videri  
Nam delectos nulli casus, colledis nulli  
Quicquam in te exatum corpore istis habent  
Qua vero consistit, his tibi gloria partit  
Viver, dum, dicitur, aut delectat, tunc  
Erat, qui hoc non innotuit, non de, non amoris  
P R V C B I L I; hauriente, carter  
Dae pati; & vna munitis, carter  
I gubum vna, hauriente, carter  
Splendens, hauriente, carter  
Natura, hauriente, carter


London, 1782, Theol. Doctor  
Hilshagen, Hilshagen  
**F I N I S**







*Pro. N. 264, 265*



*Qua pub  
delberg  
gub*


**D. CA**  
CERI B  
LOSOPH  
dicæ Doct  
tri & C  
A

*Mani*

**SIMO**  
*Lomacc*  
20.




Imprimebat



**TIFFEN** Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Z d  
2390

